

Test B 1 – seconda parte (traduzione)
Tradurre la sezione in corsivo (60 minuti)

Summarium

Claudia, virgo Vestalis, singulare exemplum virtutis praebet, et, patrem a tribuni cuiusdam insidiis defendens, mirabilem vim audaciamque ostendit.

- 1 *Claudiam, Vestalem virginem, digne ex Romanorum generoso sanguine procreatam*
2 *crediderim, dum intueor insignem pietatem eius in patrem. Pompa quippe spectabili prae se*
3 *ex senatus consulto triumphum pater agebat, frequenti Romanorum spectante plebe, cum*
4 *tribunorum plebis unus, ob privatam simultatem in eum non aliter quam in male meritum*
5 *prorumpens, se dedit in medium et insolenti, more tribunicio, audacia violentas manus in*
6 *triumphantem iniciens, eum de curru evolvere conatus est. Quod cum inter spectantes*
7 *Claudia virgo conspiceret, illico, urgente pietate commota, tristis et oblita sexus*
8 *honestatisque vittarum quibus oblecta erat, pati non potuit; quin immo, repente medias inter*
9 *catervas impetuosa prorumpens et sibi audaci nisu cedere turbam cogens, inter tribuni*
10 *arrogantiam et patris gloriam se indefesso robore immiscuit; et, amoto tribuno, liberum in*
11 *Capitolium patri concessit ascensum.*
- 12 *O dulcis amor! O infracta pietas! Quid credemus vires imbecilli corpori praestitisse virginis,*
13 *quid religionis oblivionem iniecisce, praeter eum cernere iniuria opprimi quem meminerat*
14 *infantiae suae educatorem et provectioris aetatis instructorem?*
- 15 Sed, ut de hoc satis dictum sit, quis ob hoc tumultuantibus hominibus immixtam virginem de
16 inhonestate redarguet? Quis temerariam dicet? Quis tamquam in tribuniciam potestatem
17 ausam iure damnabit? Enim adeo pulchrum atque memorabile pietatis opus in tutandum
18 patrium decus egit, ut etiam robustissimus iuvenis acriori animo fecisse nequiverit? Equidem
19 non immerito dubitem quis spectabiliorem triumphum reportaverit an pater in Capitolium, an
20 nata in aedem Vestae.